



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Diversi Tractatvs**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

Adnotatio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61359)

dæmonem per harmoniam citharæ: forte dæmon ingratum habuit hospitium eius obsessi; cuius humores sedati sunt per concertum musicum: & idè spontè recessit.

## ADNOTATIO.

**A**bsolutis his, quæ spectant ad potestatem mirificam quæ Christus Ecclesie suæ dereliquit ad dæmones abigendos: superest, ut in secundo membro tradamus praxim seruandam ab exorcistis in usu huius potestatis. Nec tamen obliuiscemur methodi scholasticæ admiscentes aliquot quæstiones: ut sciant exorcistæ rationem reddere eorum, quæ ab ipsis geruntur.

Ea malorum colluuiæ, quàm superius disputat. 10. & 11. diximus hominibus posse inferri, continentur, ac ferè epilgantur in quatuor generibus malorum: circa quæ præcipuè propulsanda exorcistarum labor, ac cura insumitur. Primum & omnium terribilissimè est obsessio, quæ fit à dæmonibus inhabitantibus humana corpora; & multis, ac varijs malis afficientibus miseros arreptitios. Secundum, persecutio illata, non à dæmone obsidente, sed forinsecus existente, & homines affligente. Tertium, infestatio domorum, ac aliorum locorum terroribus, apparitionibus terribilibus, & similibus: quæ efficiunt aliquam habitationem, sine loca inhabitabilia, ac tremenda. Quartum. Clades, aut damna illata à dæmonibus in fortunæ bonis, non per

se ipsos immediatè, sed per res aliquas sensibiles: puta per animalia fera, per turbines, grandines, ventos vehementes, depopulantes segetes, aut arbutta, diruètes domos, &c. Erga hæc malorum genera propulsanda per adiurationem præcipuè insudant exorcistæ. Quare de his speciatim dicendum est, & primò de obsessis sit

## DISPUTATIO XVIII.

*Qui sint homines isti, qui à dæmonibus obsessi dicuntur, siue demoniaci, aut energumeni, id est intus vexati*

**E**T viderur, non reperiri tales homines, in quorum corpora dæmon intrauerit. Primò ex Glossa circa illud Habacuc secundo: *Dominus in templo sancto suo*, dicente dæmones simulacris exterius præsidere possunt: non autem interius adesse: ergo multo minus poterunt intrare corpora humana.

Secundò. Anima rationalis est tota in toto corpore, & in qualibet corporis parte: ergo in nulla potest inhabitare dæmonium: tum, quia duo spiritus creati nequeant esse in eodem loco, sicut neque duo corpora: tum etiam, quia esset confusio operationum à diuersis illis emanantium, quæ nullatenus est admittenda.

Tertio. Non ob aliud dæmones dicuntur esse intra corpora hominum, nisi quia ibidem operantur: v.g. cruciando, torquendo, &c. sed ex hoc non inferitur esse intra hominum corpora